

# PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Praeclara, quibus te ornatum novimus, merita, Nos inducant, ut aliquam tibi exhibeamus honoris significationem, quae testimonio tibi sit Nostrae in te voluntatis. Te igitur praecipuo decorare volentes honore, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurris, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra harum Litterarum vi, te Equitem Ordinis S. Silvestri, auratae militiae nuncupati, eligimus et renuntiamus, teque in ornatissimum hujusmodi Equitum coetum et numerum referimus. Proinde tibi, ut ejusdem Ordinis insignia, nempe torquem aureum et ensen, atque aurata calcaria gestare possis, usque utaris, fruaris, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis praecellentibus, quibus alii ejusdem militiae Equites utuntur, fruuntur, vel uti, ac frui possunt et poterunt, citra tamen facultates sublatas a Concilio Tridentino Sanctae hujus Sedis Apostolicae auctoritate confirmato, concedimus atque indulgemus. Item tibi, dilecte Fili, concedimus, ut praeter propriam Equitum istius Ordinis vestem induere, insigne proprium, auream nempe Crucem octogonam, alba superficie imaginem S. Silvestri Papae in medio referentem, quae taenia serica rubro nigroque distincta colore, extremis oris rubris, ex communi Equitum more sinistro vestis latere dependeat, gestare libere et licite possis et valeas. Ne quod vero discrimen in hoc gestando insigni contingat, appositum schema tibi tradi mandamus. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Mensis Novembris MDCCLXXVII. Pontificatus Nostri Anno Trigesimosecundo.



J. Card. Aguirre



Stato

Dilecto Filio Isidoro Jablonski  
Doctori picturae tradendae  
in Cracoviensi Schola

